VOTA ET MOTIVA A PROCESSV PRIORISSÆ, MONIALIVM, ET CONVENTVS SANCTÆ AGNETIS,

Super Inuentario.

IN DEI NOMINE AMEN. Vniuersis pateat, quod die vigesimo octauo mensis Aprilis, anno à Natiuitate Dñi computato 1629. Cæsaraugustæ in Regio consilio Ciuili præsentis Regni Aragonum. Interuenerunt, Illustrissimus Dominus Regens Officium Generalis Gubernationis Aragonum; necnon Magnifici Domini Antonius Augustinus de Mendoça, ordinarius Assessor, Hieronymus Marta, Ioãnes Franciscus Salazar, Dominicus Descartin, & Franciscus Mirauete, Regij Consiliarij. Coram quibus fuit positus Processus Priorissæ, Monialium, & Conuentus Sanctæ Agnetis, Ciuitatis Cæsaraugustæ super inuentario, in quo tres ex dictis Dominis desuper nominatis, concordes fuerunt Voti & opinionis, quod Attent. Content. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & recipere Propositionem, Priorissæ, Monialium, & Conuentus Sanctæ Agnetis, præsentis Ciuitatis, Principalium Ferdinandi Sanchez Procuratoris, cum expensis, in omnibus bonis inuentariatis. Et in eisdem bonis recipere propositionem, Rectoris, & Fratrum Collegij Societatis Iesu, eiusdem Ciuitatis, Principalium Valerij Cortes del Rey Procuratoris. Et in eisdem bonis, recipere propositionem Prioris, Monachorum, & Conuentus Religionis Beati Dominici, Villæ de Benauarre, Principalium Ferdinandi Sanchez, & Francisci de Arbus Procuratorum, & mandare eis restituere, bona inuentariata, vna cum fructibus decursis à die inuentarij, necessaria ad integram solutionem suorum legatorum respectiue, & sine præiuditio iurium, quorum respectiue recipiuntur prædictæ propositiones. Recipere propositionem Doctoris Hieronymi Riuera Principalis Christophori Toledo Procuratoris, pro quantitate, quadraginta mille solidorum Iaccensium, & mandare vendi, bona residua, inuentariata, debitè, & iuxta Forum ad effectum solutionis dictæ quantitatis quadraginta mille solidorum Iaccensium, & ea soluta, in eo quod ex prætio supererit, recipere propositionem Rectoris, & Fratrum Collegij Societatis Iesu, Ciuitatis Oscæ Principalium Christophori Toledo, Procuratoris præstitis fide-

iuſſoribus, arbitrio Regiæ Audientiæ, debitè & iuxta Forum cæteras propoſitiones rejiciendo, neutram partium in expenſis, demptis prædictis taxandis condemnando, cætera ſupplicata locum non habere. EX EO præſertim, & alias recipiuntur propoſitiones Monaſterij Sanctæ Agnetis, Ciuitatis Cæſarauguſtæ, & Collegij Societatis Ieſu eiuſdem vrbis, & Conuentus Villæ de Benauarre. Quia conſtat de legatis eiſdem reſpectiue relictis in teſtamento Doctoris Petri Ludouici Martinez Iuriſperiti, & in vim Fori, nouiſſimi editi in Ciuitate Calatajubij, ſub titulo *de los legatarios*, obtinere poſſunt legatarij in quolibet proceſſu, bonorum mobilium, virtute, & vigore ſuorum legatorum, vt ex tenore, & contextura verborum eiuſdem Fori apertiſſime deducitur, & contrariũ aſſerere, eſſet nimis reſtringere vim verborum prædicti Fori. Magis verò eſt inimica literalis ſermonis reſtrictio, quam extenſio verborum; ex prohemio etiam dicti Fori colligitur, non obſcurè mens, & ſenſus eiuſdem. Eo enim reſpicit ratio prohemialis, vt deinceps legata relicta, à teſtatoribus, magis punctim ſoluantur, & ſic adimpleantur acuratè voluntates vltimæ defunctorũ. RECIPITVR verò ſola propoſitio Cœnobij Monialium Sanctæ Agnetis cum expenſis, quia fuit tantum pro eius parte facta interpellatio, iuxta diſpoſitionẽ dicti Fori. Admittuntur etiam dictę propoſitiones in omnibus bonis inuentariatis, nam verba illa, *de cenſales mios cargados a quinze*, in legato Monaſterij Beatæ Agnetis, ſunt poſita & conſtituta, poſt plenam, & completam ſubſtantiam legati, vt ſatis apertè demonſtratur ex alijs verbis antecedentibus, quę ſic ſe habent. *Primo dexo al Monaſterio de ſanta Ines de Çaragoça ſeys mil ſueldos de penſion, y de renta anua con la propriedad de aquellos correſpondiente.* Quę ſane verba perfectam, & completam legati ſubſtantiam, continent. Similiter, in legato Collegij Societatis Ieſu Ciuitatis Cæſarauguſtæ extant hæc ſequentia verba. *Item dexo al Collegio de la Compañia de Ieſus ochocientos eſcudos de renta con la propriedad correſpondiente à ella.* Et hæc verba completam legati diſpoſitionem præſeferunt. Pariter in legato Monaſterij Villæ de Benauarre, ſcripta reperiuntur huiuſmodi verba. *Item dexo al Monaſterio de los Dominicos de Benauarre ducientos eſcudos de renta con la ſuerte principal de aquellos.* Quę ſane verba, perfectam legati ſubſtantiam denotant, & conſtituunt. Quapropter, ſequentia verba, *de cenſales mios cargados a quinze*, poſita in primo legato, & alia *de cenſales mios a quinze*, in ſecundo legato adiecta; Et illa, *a razon de quinze de mis cenſales*, in tertio legato ſcripta; cenſentur adiecta, non per modum taxationis, & limitationis, ſed imò potius, demonſtratiuè, & per modum demonſtrationis, quia ſequuntur poſt per-

fectam

fectam legati dispositionem, & eius substantiam. Confirmatur, nam in legato relicto, Monasterio Religionis Beati Dominici Villæ de Benauarre, hoc satis clare indicauit ipse testator, dum asseruit *a razon de quinze de mis censales*. Vbi prefecta verba, *de mis censales*, generalia sunt, & comprehendunt ex propria verbi significatione, quęcunq; censualia; & sic in eodem sensu accipi debent verba aliorum legatorum antecedentium. Etenim vna pars testamenti declaratur per aliam. Nec refragatur, quod illa verba videantur collocata, & posita in vna eademq; oratione cum legato, quasi tunc limitatiue, & per modum taxationis, intelligantur adiecta. Nam respondetur, quod quando locus, vel res de qua solutio est facienda, constituuntur, & collocantur post iam finitam, & completam legati substantiam, & dispositionem. Eo ipso diuersam, ac separatam orationem continere dicuntur, vt ergo vna oratio censeatur, oportet vt locus, siue res de qua soluti rei legati fieri debet, præcedunt substantiam, & dispositionem ipsius legati. Ideo Iuriconsulti ad significandam vnitatem rationis hæc exempla tradunt: Volo ex fructibus fundi sex anni decem solui Titio. Vel si quis ita legauerit; ex illo dolio amphoras decem lego Seyo. Accedat superioribus sequens consideratio. Quod huiusmodi legata, non sunt legata speciei, sed potius quantitatis. Id quod ex eo manifestè demonstratur, nam incipiunt à quantitate, & verbum quantitatis, in medietate sequitur post verbum dispositiuum, lego, sicque quantitas est, legata principaliter, non autem censualia, & sic corpora bonorum inuentariatorum. Ideo quantitas semper fuit in obligatione, & ex consequenti, sequitur quod verba, *de mis censales de a quinze*, & alia supra relata, non sunt posita per modum taxationis, & limitationis, sed demonstratiue, & designatiue: & sic per modum demõstrationis corroborantur predicta, ex eo quod Testator Doctor Petrus Ludouicus Martinez, qui in vtroq; Iure Cæsareo, & Pontificio erat peritissimus vsus fuit discretiuo modo loquendi, quo͂d legata relicta Fratribus Religionis Sancti Augustini, & Monialibus Discalciatis, Ordinis Carmeli. Tunc enim ipsemet censualia, iure legati reliquit specificando, & declarando proprietates, & pensiones censualium legatorum. Hoc autem minime fecit in alijs legatis, vt sic apertè ostenderet, non corpora censualium, sed quantitates fuisse legatas. Deniq; esto quod supradicta essent dubia, adhuc in dubio asserendum est iuxta scribentium traditionem verba illa, *de censales mios cargados a quinze*, fore apposita demonstratiue, non vero taxatiue, & limitatiue. Recipitur deinde propositio Doctoris Hieronymi Ribera, quia constat de sua inclusione, sed admittitur posteriori loco post receptionem propositionum in vim le-

 gato-

gatorum de quibus in superioribus actum fuit etenim verba illa testamenti prædicti, *Y sin embargo de lo que he dicho, quiero pueda mi señora disponer libremente en dos mil escudos*, sunt dumtaxat referenda ad clausulam proximam, vniuersalis hereditatis; non verò ad clausulas legatorum antecedentes, & cum non constet de interpellatione, nõ recipitur cum expensis. Tandem vltimo loco collocatur, & admittitur propositio Rectoris, & Fratrum Collegij Societatis Iesu Ciuitatis Oscæ, eo quod apparet de suis legitimis inclusionibus suaq; possessione bonorum inuentariatorum. Aliæ verò propositiones repelluntur. Nam qui eas obtulerunt, vel non probarunt, vel non publicarunt, & aliàs Att. Contr. ET ALTERI duo de dictis dominis desuper nominatis, concordes fuerunt voti, & opinionis; quod Att. Contr. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & recipere propositiones; pro parte Rectoris, Patrum, & Religiosorum, Collegij Societatis Iesu præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ, Principalium Valerij Cortes del Rey, Procuratoris, Prioris, Fratrum, & Conuentus Ordinis Sancti Dominici Villæ de Benauarre, & Priorissæ Monialium, & Conuentus Sanctæ Agnetis præsentis Ciuitatis, principalium Ferdinandi Sanchez Procuratoris, oblatas, & hoc respectu cẽsualiũ inuentariatorũ, quæ imposita fuerunt tẽporeorũ formationis, ad rationẽ, quindecim mille solidorũ proprietatis pro pensione mille solidorũ tantũ, & mandare eisdẽ restitui, prædicta censualia, cũ pẽsionibus eorundẽ decursis, vt illa posideant ad recuperationẽ legatuũ in dictis propositionibus respectiue mentionatorũ, cum expensis factis respectu propositionis oblatæ, pro parte dictarũ, Priorissæ, Monialiũ, & Cõuentus Sanctæ Agnetis tantũ, & in alijs censualibus inuentariatis, recipere propositionem, pro parte Doctoris Hieronymi de Riuera, principalis Christophori Toledo procuratoris, oblatam; & mandare vendi dicta censualia debite & iuxta Forum, & ex prætio illorum, eidem solui quantitatem quadraginta mille solidorum Iaccen̄, & ea soluta, si aliquid superérit; recipere propositionem, pro parte Rectoris, Patrum, & Religiosorum Collegij Societatis Iesu Ciuitatis Oscæ, Principalium dicti Christophori Toledo Procuratoris oblatam, & eisdem restitui dictam quantitatem, quę superérit, tãquam dominis dictorum bonorum præstita prius respectiue cautione forali debite, & iuxta Forum; alias propositiones rejiciendo, neutram partium in expensis demptis prædictis, taxandis condemnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO & alias recipiuntur propositiones Priorissæ, Monialium, & Conuentus Sanctæ Agnetis præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ. Prioris, Fratrum, & Conuentus Sancti Dominici Villæ de Benauarre, & Rectoris Socieța-

tis

tis Iesu, eiusdem Ciuitatis Cæsaraugustæ, modo quo in sententia, quia ex processo constat, Doctorem Petrum Ludouicũ Martinez Cenedo, in suo testamento, cum quo dicessit inter alia multa legata, finita matris vita, & sororum, de quarum morte apparet. Tria reliquisse: videlicet; Monasterio Sanctæ Agnetis præsentis Ciuitatis Cæsaraugustę, sex mille solidos pensionum, & annui redditus, cum proprietate illis correspõdenti suorum censualium ad rationem quindecim mille solidorum. Monasterio Fratrum Sancti Dominici Villæ de Benauarre, alios quatuor mille solidos annui redditus, vel pensionis cum sorte principali illorum ad rationem quindecim mille. Et Collegio Societatis Iesu præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ, sex decim mille solidos annui redditus cum proprietate illis correspondenti, suorum censualium, ad rationem quindecim mille solidorum, quibus quidem legatis, quilibet suam obtulerunt propositionem; pro quibus nõ ambigimus in hac processus tella posse obtinere attenta noua forali dispositione. Diuersimodè tamen nõ facta requisitione (vt factum est) pro parte Conuentus Sanctę Agnetis, obtinebunt, prout obtinent cum expensis, nulla trifacta sine eis, ex clara dicti Fori litera, quæ sine restrictione aliter intelligi non valet. Tota verò huius rei difficultas, versatur an huiusmodi legata, conditionalia, & limitata, sint ad censualia, ad rationem quindecim mille solidorum formata. An verò gratia demonstrationis, illa sunt apposita, quæ in dubio præsumantur, cum sic intelligendo magis conseruetur dispositio, & magis sortiatur effectum, & ideo potius est capienda interpretatio, vt verba stent demonstratiue, non conditionaliter, & taxatiue; sed hoc casu limitatę, & conditionaliter relicta extitisse litera valde est consonum, cum certissimi iuris sit, & cognosci, hanc diuersitatem & differentiam, ex dispositione vnica oratione, vel multiplici concepta, si vnica conditionaliter, & limitata iudicatur si multiplici demonstratiue; at in præsentiarum vnica ratione testator legauit, pensiones, & proprietates illas correspondentes suorum censualium, ad rationem quindecim mille solidorum Iaccensium, formatorum cum ab eodem verbo, regatur clausula cuiuslibet ex dictis legatis: ergo limitata fuit eius dispositio ad prædicta censualia, vt sic legata, non tantum sint intelligenda quantitatis, quantum speciei, videlicet illorum censualium ad rationem, quindecim mille solidorum, quia talis designatio, & vna oratione perficitur, & nõ fit executioni, sed ipsimet dispositioni, ita quod substantia, & materia eiusdem dispositionis, sint censualia ad rationem quindecim mille solidorum, ex quibus in illa tantum materia obtinere possunt, in qua conditionaliter, taxatiue, & limitatiue facta fuit dispositio, ex qua ratione

in

in alijs bonis inuentariatis obtinere minime valent prædicti legatarij. Recipitur etiam propositio Doctoris Hieronymi Ribera, in reliquis censualibus inuentariatis, quia dicta Hieronyma Cenedo, fuit hæres instituta cum grauamine, quod post eius obitum bona peruenirent in Hieronymam, & Magdalenam Martinez, dicti testatoris sorores, & nõ obstante dicto grauamine, concessit facultatem dictę hæredi; disponendi de quantitate quadraginta mille solidorum. Et constat dictam Hieronymam Cenedo decessisse relictis hæredibus dictis eius filiabus, quæ similiter decesserunt, & hæredes respectiue instituerunt dictos Rectorem, Patres, Religiosos, & Collegium Societatis Iesu, Ciuitatis Oscæ, qui ius recipiendi dictam quantitatem, vendiderunt prædicto Doctori Hieronymo Ribera, ex quo eius propositio recipiẽda venit, vt ex censualibus hæreditati prædictę pertinentibus, dicta quantitas, eidem soluatur cum certum sit, per generalem dispositionem factam omnium suorum bonorum per dictam Hieronymam Cenedo, in fauorem suarum filiarum, prædictam quantitatem, & facultatem de ea disponendi, fuisse translata, non autem recipitur prædicta propositio, ante propositionem legatorum, nec in bonis eorundem legatorum, quia in eorum præiuditium, non fuit concessa dicta facultas disponendi, quod satis apertè deducitur, ex quo statim post vocationem, & substitutionem dictarum testatoris sororum fuit subsecuta facultas disponendi de dicta quantitate ita quod ea deduci posset ex bonis hæreditarijs, non obstante vocatione dictarum sororum, & hæc fuit voluntas dicti testatoris secundum eius dispositionem. Tandemque recipitur propositio Rectoris, Patris, & Religiosorum Societatis Iesu Ciuitatis Oscę modo quo in sententia, quoniam constat, eosdem hæredes legitimos extitere bonorum, in quibus propositio recipitur. Recipitur tamen propositio Prioris, Fratrum, & Conuentus Carmelitarum Descalciatorum, quia non publicarunt. Alię autem rejiciuntur propositiones, quia vel non probarunt, vel non publicarunt, & aliàs Att. Contt. &c.

SIG ✠ NVM mei Ioannis Perez de Oliuan, Scribæ mandati suæ Maiestatis, in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per suas terras, & dominationes publici Notarij, qui huiusmodi vota & motiua à libro Regij Consilij Ciuili præsentis Regni Aragonum, vbi continuata existunt bene, & fideliter cõprobata extraxi, & signaui, constat, ræso rescripto, vbi legitur, Tres ex dictis, & emendatis dicentibus, ro, ob.